



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VIII. Vtrum ille qui aliquem leuat de sacro fonte teneatur ad eius
instructionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Aduerte. 1. Episcopum non posse concedere licentiam vt duo viri loco viri & mulieris aliquem suscipiant, vt respondit congregatio Cardinalium, vide rituale citatum tit. citato §. 2. nec posse dispensare vt plures patrini quam vnus & vna admittantur.

Sanchez. Aduerte 2. paternos posse adhiberi in baptismo minus solemniter, vt Sanchez lib. 9. de matrimonio disp. 26. num. 3. & alij passim videntur supponere.

Qua ratione propter susceptionem de sacro fonte contrahatur spiritualis cognatio, commo- dius dicitur in materia de matrimonio.

ARTICVLVS VIII.

Utrum ille qui aliquem leuat de sacro fonte teneatur ad eius instructionem?

Resp. affir.

AFFIRMAT; aduertit tamen inter catho- licos apud quos parentes supponuntur suas proles instruere, & pastores plebem doceri, pa- trinos communiter liberari ea obligatione.

QVÆSTIO LXVIII.

De suscipientibus baptismum.

Ordo do-ctrinae D. Th.

DIVVS TH. præsentis quæstione agens de subiecto baptismi, i. explicat obligationem baptismi recipiendi, tum dispositionem quæ ad illius receptionem requiritur. denique quinam sint illius capaces.

ARTICVLVS I.

Utrum omnes teneantur ad susceptionem baptismi?

Resp. affir. Ioan. 3.

AFFIRMAT.

Probat. 1. ex Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.*

Probat. 2. homo ad illud obligatur, sine quo saluari non potest, non potest autem saluari sine baptismo, quia nemo potest saluari nisi incorporetur Christo, quod fit per baptismum, per quem homo fit Christi membrum.

Ex necessitate medij inferri necessitas præcepti.

In quo discursu docet baptismum esse necessarium ad salutem necessitate medij. & quia nihil magis debet præcipi quam id sine quo salutem consequi non possumus, si in nostra potestate situm sit illud ponere vel non ponere, idcirco etiam docet baptismum esse necessarium necessitate præcepti.

Circa solutionem primi argumenti Notandum D. Th. in ea non requirere vt antiqui Patres fidem suam externo signo protestarentur ad obtinendam peccati originalis remissionem, sed solum velle eos ex fide in Messiam veterum facile fuisse permotos ad sacrificia offerenda, & ad alia signa fidei protestatua. Constat quia in fine responsionis colligens ex suo discursu præcisam solutionem ad argumen- tum, dicit; *ideo licet ipsum Sacramentum baptismi non fuerit semper necessarium ad salutem, fides tamen, cuius baptismus Sacramentum est, semper necessaria fuit, vbi nullum signum externum requirit, videri pos- sunt dicta supra quæst. 62. dub. 3. post medium.*

ARTICVLVS II.

Utrum sine baptismo aliquis possit saluari?

RESPONDET aliquem posse saluari sine ba- ptismo re suscepto, non tamen sine eius voto seu desiderio procedente ex fide per dilectionem operante.

ARTICVLVS III.

Utrum baptismus sit differendus?

PRIMA conclusio: baptismus paruulorum non est differendus, quod duabus ex causis ostendit. 1. quia in paruulis non expectatur maior instructio. 2. quia non potest illis alio modo subueniri, unde propter mortis periculum baptismus non debet differri.

Aduerte tamen hoc periculum esse satis remo- tum, quod proinde seposita ecclesiastica consue- tudine non inducit grauem obligationem non dif- ferendi baptismum paruulorum.

Secunda conclusio: baptismus adultorum differ- ri potest tribus de causis. 1. ne Ecclesia decipiat hoc Sacramentum conferens fidei accedentibus. 2. vt baptizandi plenè instruantur in fide & his quæ ad vitam christianam pertinent. 3. propter ma- iorem Sacramenti reuerentiam.

Docet tamen interdum posse statim conferri, si baptizandi sint perfectè in fide instructi & idonei ad baptismum. 2. si imminet illis periculum mor- tis, vt S. Leo epist. 4. cap. 6. & habetur can. si quis ne- cessitate de consecratione dist. 4.

DVBIUM I.

Utrum baptismus sit necessarius ad sa- lutem?

PELAGIANI censuerunt baptismum paru- lis non esse necessarium ad obtinendam pec- catorum remissionem, sed tantum ad consequen- dum regnum celorum. Prius asseruerunt, quod ne- garent paruulos contrahere peccatum originale, vt patet ex secundo error. Pelagij dñato in Synodo Palæstina, & habetur apud Aug. epist. 106. postero- rem tamen partem asseruerunt propter locum Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* videri potest Aug. hæresi 88.

Wicleff vltimè progressus absolute negauit hoc Sacramentum esse necessarium, vt refert Wal- densis tomo 2. doctrinalis fidei cap. 96. quod etiam negant plerique huius temporis hæretici, vt vide- re licet apud Bell. lib. de baptismo cap. 4. quamuis Calvinus id non neget de omnibus, sed de solis fi- lijs fidelium, quos dicit sanctos & membra Eccle- siæ sine baptismo, & proinde sine illo saluari posse lib. 4. institut. cap. 16. §. 24. & 25. quod quidem ea- tenus dictum consequenter eius principijs de effi- cacitate Sacramentorum, quatenus dicit paruulos fidelium absque baptismo saluari posse, minus ta- men conformiter quatenus his solis tribuit. nam si baptismus nihil confert, neque operatur remissio- nem peccatorum, est nudum & speculacium li- gnum remissionis acceptæ, & proinde non est ma- gis necessarius filiis infidelium vt iusti possint esse coram Deo quam filijs fidelium.

Contra